

runt, notavit sine facio Adonis Chronici Breviator, qui eam Quæstionem Græcos inter, & Latinos de Trinitate Gentiliaci ventilatam ait esse, utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio? Nihil ergo jam est, quod ambigamus in hac parte; quanquam, si nobis Breviator ille præsto non esset, qui Mysterium revelasset, sola ratione duce id aperire facile fuisset. Quæ enim, quæso, Græcos inter, & Latinos de Trinitate Controversia fuit unquam, nisi quæ de Spiritu Sancti Processione movetur? Si quis alteram novit, dicat, amabo: lubenter excipiam, nec doceri aliquid moleste feram, sed lucro ducam. Sit ergo secundum illud statuta a me Propositionis Fundamentum; Errorem scilicet illum diu ante Photium inventum esse a Græcis.

Tertium altius repeto; duobus videlicet ante Photium sæculis integris, imo & amplius, anno nimirum sexcentesimo quadragesimo, quo sub Constante Imperatore florebat Sanctus Maximus Martyr. Exat enim vero ejus ad Marinum Diaconum Epistola Dogmatica, quæ ex Instituto Græcorum adversus Romanos criminationes eluit, quarum una, eaque potissima, illa erat, quod Romanus Pontifex scripserit, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Quocirca ostendit Sanctissimus Martyr, nihil ea parte novasse Pontificem Maximum; cum in eo asserendo Catholico Dogmate antiquos utriusque Ecclesiæ Patres suffragatores haberet. Jam tunc ergo Spiritus Sancti a Filio Processionem inficiabantur Græci aliqui. Eo S. Maximi Martyris suffragio exagitati in Concilio Florentino Græci Schismatici eo primum confugerunt, ut eam ad Marinum Epistolam spuriam dicerent. Sed, productis antiquissimæ notæ Manuscriptis Codicibus Græcis, ea statione dejecti sunt. Nec immerito; nam & hodie tres pervetusti Codices Romæ inveniuntur; unus in Græcorum Collegio; alter in Bibliotheca Columnensi; tertius in Museo Vaticano, qui eam Sancti Maximi ad Marinum Epistolam integram representant. Non itaque primus e Græcis extitit Photius, qui eum de Spiritu Sancti a Patre solo Processione Errorem cuderit, ut negotium ob id Ecclesiæ Romanæ successerit; si duobus in antecessum sæculis facta erat hæc alia.

Quartum occurrit, quod idem evincat, eliquissimum argumentum, alteri jam præmissis admodum affine. Græcorum adversus Latinos criminationem a S. Maximo confutatam in eo præsertim audistis, quod Pontifex Romanus scripserit, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Quis ille Pontifex fuerit, qui in scripto reliquisset, curiosus investigavi; ac demum, Deo auspice, Gregorius I. Pontifex Maximus mihi occurrit, de quo Græcos illos exposulasse deprehendit; namque Catholicum illud Dogma statuisse perhibetur Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. cap. 38. ubi sic habet: *Cum enim constet, quia Paraclitus Spiritus a Patre semper procedat, & Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit?* Consentit deinde ratio temporis, cum paulo ante vivere desisset Gregorius Pontifex I., quam Græci illi obmurmuratores a Sancto Maximo confutati criminationes has molirentur. Is quippe anno sexcentesimoquarto fato cesserat; isti vero anno circiter sexcentesimo quadragesimo multitarunt. Verum, inquires, quid inde ad præsens Institutum? Dicam breviter. Ad Græcorum manus statim post Sanctissimi Pontificis obitum venerunt illius Dialogorum libri, & ab eis Græco idiomate redditi sunt. Cumque adeo apertam Spiritus Sancti a Filio procedentis testificationem ferre non possent, procaces in eos

Dialogos manus injecerunt, & sacras illas voculas *Filioque procedit* iniqua arte sustulere. Testis mihi est omni exceptione major Joannes Diaconus, qui vitam Sanctissimi Pontificis omnium diligentissimus scripto dedit. Legat, qui eo delectatur argumento, librum 4. cap. 75. Jam si sic est, ut nedum Gregorio Magno ob assertam Spiritus Sancti a Filio Processionem negotium Græci successerint, sed & illius etiam Dialogos vitiantur, ut eam particulam *Filioque* abraderent ducentis, & amplius annis antequam Photius caput extolleret; quis quæso Photium primum hujus apud Græcos erroris artificem dicat?

Jam vero Hæreses Nestoriana primordia repetenda veniunt, ut primum hujus Erroris Architectum detegamus. Et quidem Theodoretus Nestorii apparitor, & armiger quinto vertente sæculo annis ante Photium ferme quingentes hunc ipsum ex Instituto propagandum Errorem aggressus est: *Spiritum Sanctum a solo Patre procedere*. Cum enim S. Cyrillus in nono contra Nestorium Anathematismo Spiritum Sanctum Filii Spiritum esse dixisset, quod nempe ab illo quem admodum a Patre procederet; id veluti impietatem, atque blasphemiam fugillavit audacissime. Theodoretus in hujusce noni Anathematis confutatione; idque nec timide, sed alta fronte, & erecto minaciter supercilio. Quin etiam in actis Concilii Ephesini Nestorianum Symbolum legere est, cujus auctorem Theodorum Mopsuestenum Nestorii, & Theodoretum Magistrum extitisse notum est; ubi idem proceditur Error. Ex quo patet quam justo titulo hujus Erroris initia a Nestorianis sæculo quinto tumultuantibus petierit Doctor noster Angelicus 1. part. quæst. 36. artic. 2. ad 3. tametsi ab hujusmodi rebus Historicis adnotandis alieno fati animo extitisse videatur. *Dicendum* (inquit) *quod Spiritum Sanctum non procedere a Filio, primo fuit a Nestorianis introductum, ut patet in quadam Symbolo Nestorianorum damnato in Ephesina Synodo: & hunc errorem secutus fuit Theodoretus Nestorianus; & plures post ipsum: inter quos fuit etiam Damascenus.*

Non me fugit, Theodoretum hujus Erroris Assertorem sæculo quinto palinodiam tandem cecinisse, & castra mutasse; Errorem in Concilio Chalcedonensi ejurasse; ac velut honorandum Ecclesiæ Membrem susceptum esse, ac fæc etiam Sedi honorifice restitutum: bene quidem. Ad id non obest, quominus ab eo facta sit alia, ut præformatus ab illo nefarius Error ab aliis subinde Græcis studiosè susceptus sit; & adversus Ecclesiæ Latinæ Professionem diu ante Photianum Schisma propugnatus. Tametsi, quod fateri necessum est, primus omnium Photius extiterit, qui errorem hunc, addito per summam impudentiam Schismate, cumulaverit.

Quid ergo? Quo tandem nomine eum de Spiritus Sancti Processione Errorem appellabimus? Ecclesiæ Græcæ dicemus Errorem? Absit. Columnia profecto foret omnium atrocissima: cum e contrario Sancti Cyrilli Epistola numero decima, suo, & Concilii Alexandrini nomine scripta, ubi appositè Veritas Catholica diserte statuitur, in Ecclesiæ Græcæ Conciliis approbata, receptaque sit; in Ephesino scilicet, Chalcedonensi, Constantinopolitano secundo, ac tertio; quæ de re plura suo loco dicam.

At, inquires, a Græcis identidem ab antiquo, & ante Photiana tempora profusus Error ille est: quidni ergo Græcorum Error vocetur? Minime vero: quia & toties ab ipsis Ecclesiæ Græcæ Patribus refutatus est; ut alibi demonstrabo. Quis porro integræ Ecclesiæ immundam maculam dicat

dicat ob quorundam Nebulonum aberrationes, ab ipsis Ecclesiæ suæ Principibus, & Athleticis eo tempore confutatas? Si ita ariolari licitum esset, Pelagianismum æquo jure Ecclesiæ Latinæ Errorem appellare quis posset; cum & a Britannis, Africanis, & Gallis profusus, ac defensus identidem fuerit. Absit ergo, ut hanc Ecclesiæ florentissimæ inuramus injuriam. Photianismum ergo, seu Photianum dicamus Errorem, tametsi a Græcis longe plurimis fuerit ante Photiana tempora præformatus; hunc Photio defensus honorem, quem Ario, Eunomio, Pelagio, cæterisque hujusce notæ tenebrionibus deferre solet Litterarius Orbis. Uti enim illorum Errores, tametsi ab aliis magno numero præformati, ab iis tamen acceperunt nomen, quod ab eis majori audacia, arte, fraudibus, concitatis Discipulis, & Gregalibus, ultimo prodierunt; ita profusus, ac sæpius ante Photium fuscitatus Processionis Error ab eo repetere nomen summo jure, ac titulo potest, qui in illo disseminando impudentia, & audacia palmam retulit; Erroremque concitatis Discipulis, additque Schismate cumulavit.

Tempus est, ut detestis primis Erroris hujus Auditoribus, ad ejus confutationem vocem, & animum convertamus: erit hoc sequentis Exercitationis Dogmaticum Argumentum.

PRÆLECTIO XII.

Defenditur Processio Spiritus Sancti a Filio ex Scripturis, & utriusque Ecclesiæ (Græcæ, atque Latinæ) definitionibus.

Quæstionem juris attingimus, num Spiritus Sanctus, uti procedit a Patre, ita procedat a Filio: Quæstionem inquam attingimus, quæ, si partium dissidentium Conditionem attendimus, inter omnes celeberrima est. In aliis quippe Quæstionibus vel Theologos Fidei domesticos, eisdemque Ecclesiæ membra ob levioris momenti Difficultates, quæ Religionem minime ledant, exagitantur; vel, si Hæreticos a Fide segrèges confutamus, non ita fæc de eorum a nobis scissione dolemus, ac de Ecclesiæ Græcæ alias florentissimæ, quæ nobis tandiu confociata fuerat, fatali Schismate vulneramus. Quare facit agendam Controversiæ dignitas, ut eam pro uberiori difficultatis eliquatione in varia Capita dividamus. Primum: Processionem Spiritus Sancti a Filio facrarum Scripturarum Oraculis comprobabimus; & Conciliorum tum Orientis, tum Occidentis Definitionibus munemus: Secundo: eandem Processionem Patrum Græcorum, (Latinis, de quibus nullum est dubium, omisiss) suffragio vindicabimus: Tertio: de Symbolo D. Athanasii (quod in hujusce Catholice Veritatis præsidium Latini plerique magna pompa laudare solent) illiusque Auctoritate disputabimus: Quarto: Græcorum Objecta diluemus: Quinto: de additione particulæ *Filioque* Nicæno, & Constantinopolitano Symbolo a Latinis posterioribus facta, disseremus.

De primo itaque Capite in hæc præsentis Exercitatione didicimus quatuor ex multis Scripturarum Oracula seligam, quæ Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere invicissime probant.

Primum extat in versiculo 14. capituli 16. Evangelii Joannis, ubi Christus de Spiritu Sancto, quem venturum suis Discipulis adpromiserat, sermonem habens: *Ille, inquit, me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quæ verba Spiritum Sanctum Scientia a Filio accipere aperte significant, seu accepturum Divinitatis, & Sapientie plenitudinem, ut explicat D. Augustinus. Imo & hoc ipsum S. Cyrillus, & S. Chryso-

mus Ecclesiæ Græcæ Antistes eo loci significantum diserte tradunt. Porro si Spiritus Sanctus Scientiæ plenitudinem a Filio accipit, Naturam quoque illum accipere necesse est: hanc vero quæ via ab eo accipere potest, nisi per sui Processionem ab illo? Procedit ergo Spiritus Sanctus a Filio.

Sensit hujus Argumenti pondus Theophylactus Scripturarum quidem Interpres non ignobilis; sed a Photio, statim ac Schisma fecit, ad Errorem disseminandum adductus est: imo partium studio impotenter abreptus Latinos aperte tradidit in suis ad Caput Joannis tertium Commentariis. Is ergo, ut hoc Oraculo sese expeditur, respondit, illius hunc sensum esse: *ille de meo accipiet*: hoc est: *de meo Thesaurò*, nempe de Patre, a quo Filius accepit omnia sua, non de suo ipsius Fundo.

Lepida profecto Responso. Cur ergo, si ita est, non ait Christus *de meo Thesaurò accipiet*; sed indefinite *de meo*; hoc est: de meo Fundo? Sed & verba sua Christus Dominus ibidem interpretatur; & quid sibi velit illud *de meo accipiet* distincte significat; dum antea dixerat: *non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audierit loquetur.* De eo ergo accipiet Spiritus Sanctus, quem interius sibi loquentem audit: at non solum Patrem, verum etiam & Filium audit Spiritus Sanctus; Igitur a Filio quoque Scientiam accipiet Spiritus Sanctus. Quocirca Didymus Græcorum Patrum unus S. Hieronymo ætate superior lib. 2. de Spiritu Sancto dictum illud *non loquetur a semetipso* sic explicat: *quia non ex se est, sed ex Patre, & me est: hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, a Patre, & me illi est.* Quo uno Photianum Errorem, & si alia nulla suppetent, jugulari posse, minime dubitaverim. Insuper, dum ait Christus Dominus: *ille me clarificabit: quia de meo accipiet*, significat plane, Spiritum Sanctum ab illo ipso accipere, quem erat clarificaturus, non tantum Patrem: de Filio ergo accepturus erat, non de Patre tantum, tanquam communi Personarum procedentium Thesaurò.

Cavillatur subinde Theophylactus in verbo *accipiet*; quod cum futuri temporis sit, Spiritus Sancti Processionem, quæ est ex æternitate, significare non posse putat. At fallitur morosissimus Cavillator. Ea enim rerum æternarum conditio est, ut omnium temporum differentia exprimitur, cum omnium temporum vices æternitatis complectatur. Alias æquo jure fingi posset, de æterna Verbi Generatione in Psalmo 109. non esse sermonem, ubi dicitur: *ex utero ante luciferum genui te*; cum & hoc præteriti temporis verbum sit, quod æternitati nimirum, quam futuri temporis verbum, repugnare videri posset.

Accedit aliorum nil minus efficax Scripturæ Testimonium ad Processionem Spiritus Sancti a Filio confirmandam ex versiculo 7. ejusdem cap. 16. Joannis delibatum. *Si enim non abiero, inquit Christus, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cap. 15. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis.* Ex quo aperte colligitur, Spiritum Sanctum a Filio mitti. Porro per hoc quod aliquis mittitur, ostenditur Processio quædam missi a mittente; ut optime colligit Doct. Angelicus 1. part. quæst. 43. art. 1. Jam vero Spiritus Sanctus, qui a Filio mitti hoc loco dicitur, a Filio non procedit secundum imperium, uti servus a Domino missus: restat ergo, ut ab eo procedat secundum originem: suam itaque Originem Spiritus Sanctus habet a Filio, atque ita procedit ab eo.

Reponunt Græci Schismatici, ex Spiritu Sancti a Filio Missione ineptissime colligi ejusdem

ab illo Processionem; alias ipsum vicissim Filium ab ipso Spiritu Sancto procedere, æqua ratione fingi posset; cum & Christus a Spiritu Sancto missus pariter asseratur *Isaia 48.* ubi ex Persona Filii dictum legimus: *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Quapropter, inquit Græci, Spiritus Sanctus a Filio eo dumtaxat sensu Missus asseritur, quia Filius ea hominibus Dona largitur, quæ Spiritus Sancti Dona dicuntur.

At si *Isaia* Contextum penitus inexistens, nunquam eorum animos ea cogitatio subisset. De Filio quippe Dei in assumpta Natura Prophetam agere clarior est, quam ut id probare necesse sit. *Spiritus Domini* (Scriptura verba sunt *Luca 4.*) *super me: propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me.* Filius ergo ea in Natura a Spiritu Sancto missus est, secundum quam ab ipso oleo Gratia, & læticia unctus est; nimirum secundum Humanitatem, atque adeo Processione, non æterna, de qua nunc agimus, quæ per Originem fiat; sed Processione temporali, quæ per imperium, auctoritatemque exerceri supponitur.

Frustra vero diverticula illa Græci querunt, ut ficticias nobis interpretationes obtundant; quasi vero Spiritus Sanctus eo dumtaxat sensu a Filio missus asseratur, quia Filius ea hominibus Dona largitur, quæ Spiritus Sancti Dona dicuntur. Imo potius ea Spiritus Sancti Dona conferantur a Filio, ac ipse quoque Spiritus Sanctus nobis conferatur, ac datur: utrumque enim collatum, ut Donatum a Deo, monet Apostolus *ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Et verò eo plane modo Spiritum Sanctum mitti a Filio Scriptura docet, quo Filius a Patre missus passim asseritur. At quis eos ferendos existimaret, qui Filium eo tantum sensu a Patre missus assererent, quod nobis Pater ea beneficia, ac dona contulisset, quæ Filii Dona vocantur; non quod eum Processione, & Origine miserit? Pari ergo festivitate ridendum ad id, quod Photianus propinquant, dum futiles illas interpretationum Argutias nobis obtundunt.

Eandem Catholicam Veritatem, Processionem scilicet Spiritus Sancti a Filio confirmant ea omnia Scripturarum Oracula, quibus Spiritus Sanctus Filii Spiritus dicitur, quemadmodum Patris. Obvia illa sunt sepe numero *ad Rom. 8. ad Galat. 4. Matthæi 10. Joannis 20.* & alibi sæpius. Quomodo enim & est, & dicitur Filii Spiritus, sicut & Patris, nisi propter Originem habitam ab utroque? Frivolam quippe est, quod Græci nonnulli reponunt, Spiritum Sanctum Spiritum Filii nuncupari, quia unam eandemque eam Filio Naturam habet. Si enim ea valeret ratio, posset perinde Spiritus Sanctus Verbum Filii nuncupari, cum Spiritus Sanctus unam eandemque cum Verbo Naturam habeat. Quod nemo non videt absurdissimum esse, ac etiam hæreticum. Apage ergo vana hominum inaniter garrigentium Effugia; quibus eliquatissima Veritati nebulas offundere moliantur.

Secundum hæc Scripturarum Oracula Ecclesia Græca Catholicam illam Veritatem expresse professæ est, antequam fatali a nobis Schismate scinderetur; imo & antequam prima contrarii Erroris semina spargerentur. Enim vero candenti lapillo expressa est in *Epist. Synodica* Sancti Cyrilli (cujus est) Synodi Alexandrinæ nomine ad Nestorium data, ubi inter cætera sic loquitur: *Quandocumque Spiritus Veritatis nominatur; Christus autem Veritas est: & proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.* Quod est non levis per se momenti æquis rerum æstimatoribus videri debeat ob Scribentis clarissimum Nomen, majorem adhuc auctoritatem, ac robur obtinet ex Veterum

Conciliorum Œcumenicorum approbatione, quæ ea Sancti Cyrilli Epistola donata est, & confirmata. Hanc etenim Epistolam hoc calculo confirmavit Concilium Ephesinum *cap. 14.* Chalcedonense *Act. 1.* Constantinopolitanum II. *Act. 19.* sic, ut ea Sancti Cyrilli, & Concilii Alexandrini Epistola, quæ tam elegans Spiritus Sancti Processionis Testimonium tulit, quatuor Conciliorum in ipso Ecclesiæ Græcæ sive celebratorum auctoritatem, ac robur habere possit.

Sed est aliud observatione longe dignius, in septimo Concilio Generali, Nicæno videlicet secundo non eam dumtaxat Sancti Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ Epistolam Synodalem probatam esse, verum etiam in ejusdem Sessione septima Sacrosanctum Symbolum Constantinopolitanum, addita particula *Filioque*, insertum esse. Quod cum in Concilio Florentino Græcis Præsulibus a nostris objiceretur, iique perfractè responderent, ita non esse, Græcorumque Codicum fidem appellarent; Cardinalis Julianus, & Andreas Theologus Ecclesiæ Latinæ præstantissimus, producto vestustissimo Græco Codice, Græcos falsi postularunt, & convicerunt. Id ex Actis Sessionum quinta, sexta, ac septima Concilii Florentini perspicuum est. Legat, qui vult.

Ex quibus omnibus aperte videtur, quam falso ac temere scripturæ Græci nonnulli, Spiritus Sancti a Filio Processionem a nullo Orientalis Ecclesiæ Concilio fuisse agnitam, magnumque eo ex capite argumentum desumere sibi putent. Cum e contrario a quinque, ut ut minimum, Synodis in ipso Orientalis Ecclesiæ gremio celebratis, summaque totius Orbis veneratione susceptis approbatam fuisse, certissime constat.

Jam quid Ecclesiæ Latinæ Concilia memorem, ubi sacrum illud Fidei Dogma definitum est? Silentio mittam, quæcumque, excitato semel Photiano Schismate, celebrata sunt, Lateranense sub Innocentio III. Lugdunense II. sub Gregorio X. Florentinum sub Eugenio IV. ubi, qui aderant Græci, evidentia ex Latinorum Argumentis superari in ejusdem nobiscum Fidei Professionem conspirant; Symbolumque Nicænum, addita particula *Filioque*, communi nobiscum voce ter inter Sacra Solemnia publice decantantur: Tamen, ut est instabile Hominum genus, in pristinum errorem subinde prolapsi sint. At prætermittere ea Concilia nefas esset, quæ longo ante Schisma subortum intervallo coacta sunt, & eo tempore celebrata, quo nobis Græci amica Communionem jungentur: Toletanum videlicet I. sub Anastasio I. Pontifice Romano celebratum anno quadringentesimo; cuius hæc verba sunt in Fidei Professione: *credo . . . Spiritum quoque Paraclætum esse, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre, Filioque procedens:* Toletanum III. sub Pelagio II. celebratum anno quingentesimo octingentesimo nono, cui interfuerunt multi Sanctissimi Præsules, alique numero centum quinquaginta. Ita quippe in Professione Fidei (uti in *Can. 3.*) decernit: *quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre, & Filio procedere, eumque non dixerit coeternum esse Patri, & Filio, & coequalem, anathema sit.*

Rursum Toletanum VII. anno sexcentesimo quingentesimo tertio sub Martino Papa habitum, ducentis plus minus ante Photium annis: *credimus (inquit) in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, ex Patre, & Filio procedentem.*

Sed nec modo ante Shisma Photianum, verum etiam ante prima hujus Erroris semina a Nestorianis quinto vertente sæculo sparsa, in Concilio Bracarensi I. eliquata, atque sancta Veritas fuerat,

rat, anno videlicet quadringentesimo undecimo, triginta circiter annis ante Nestorianam primordia. Ita quippe in Fidei Professione sanctum est: *Crede in Spiritum Sanctum procedentem a Patre, & Verbo, unicum in Deitate cum ipsis, qui per ora Prophetarum locutus est, supra Apostolos sedes, Mariam Christi Matrem replevit.*

Quam ergo excusationem Græci obtendere poterunt? Erant illi (inquit fortasse) qui ita fanxere, Ecclesiæ Latinæ Patres. Ita profecto: ac eo tempore sanxerunt, quo Græcis Fidei Communionem conjuncti erant. Una ergo, eademque fuit olim eo in Capite Græcorum, ac Latinorum Fides. Jam si olim, cur non modo? Absit enim, ut temporum fidem habere velint; & Veritatem, cui, Tertulliano Judice, nihil prescribere potest, non intervalla locorum, non spatia temporum, non patrocinia personarum, pro variorum sæculorum conditione metiri se posse parent. Sed superest adhuc, quod illos non minus efficaciter urgeat, Ecclesiæ videlicet suæ Patrum Testimonium; quod in proxima sequenti Exercitatione, volente Deo, proferemus.

PRÆLECTIO XIII.

Processio Spiritus Sancti a Filio Patrum, ac præsertim Græcorum, auctoritate demonstratur.

Quod olim Hebræis ab avita Religione declinantibus Moyses dixisse legimus, id ego Græcis fatali a nobis Schismate discisis dicendum existimaverim: *interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi. Deuter. 32.* Satis quippe fore putaverim ad Græcos ab illo, quo nunc de Spiritu Sancti Processione versantur, Errore revocandos, si Majorum suorum, ac Patrum vocem fidelibus auribus auscultarent. Ita enim Catholicum illud Dogma dicitur, & explicatis Suffragiis adstruit Græci Patres, ut mirari omnino subeat, Græcos, quos suæ Gentis, & Avorum gloria tenet, in Errorem oppositum declinare.

Dies me deficiat, si quotquot Ecclesiæ Græcæ Patrum Testimonia suppetunt, si quotquot alias a doctissimo Cardinali Bessarione in erudita Oratione coram Concilio Florentino Patribus habita recensita sunt, referre velim ex integro. Selectiora in medium proferam ab iis Græcæ Gentis Doctoribus petita, qui majorem apud illos Eruditionis, & Sanctitatis famam obtinent.

Prodit primus in ordine Sanctus Basilius cognomento Magnus, quem alias tanti fecit, & æstimavit Athanasius, ut Ecclesiæ Catholice Gloriam in Epistola ad Palladium appellaverit. *Is lib. 2. contra Eunomium* prope finem, Eunomium confutaturus, qui Spiritum Sanctum a solo Filio, non item a Patre procedere contendebat, eo utitur Argumento; nimirum fieri non posse, ut ab uno procedat Spiritus Sanctus, & non ab altero, cum utriusque simul & Patri, & Filio operationes communes existant: *Nulla Filii operatio*, inquit, *a Patre divisa est: nec est aliquid in rebus, quod Filio insit, & a Patre alienum sit.* Omnia (inquit Filius) mea tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus Sancti causam, & originem sibi Unigenito tribuit Eunomius? Qua argumentatione Recentium Græcorum Errorem perinde confodit. Vel ergo absontam Basilii Magni argumentationem esse fateantur Græci necesse est; aut si eam, uti debent, efficacem, ac solidam agnoscunt, eandem pro ipsorum Errore confutandam valere fateri coguntur. Si enim Spiritus Sanctus a Filio procedere nequit, quin etiam a Patre procedat, quia, qua procedit, Operatio Patri, ac Filio commu-

nis est; æqua ratione nequit a Patre procedere, (quod tamen Græci Schismatici profitentur) nisi ut a Patre pariter jure procedat.

Id apertius significat idem Sanctissimus Doctor *lib. 3.* ubi alterum Eunomii Errorem impugnat, quo Spiritum Sanctum quemadmodum in Trinitate Origine tertius est, ita & Natura tertium esse fabulatur: *Cur enim necesse est (ait Basilius) si dignitate, ac ordine tertius est Spiritus Sanctus; Natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum esse a Filio, pietatis sermo fortasse tradit; cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illo, uti causæ, dependeat: natura vero tertius, uti nec a Divinis Scripturis docti sumus, nec ex antecedentibus possibile consequenter colligit.* Suam itaque esse habet a Filio Spiritus Sanctus; & ab eo uti Causa, seu Principio procedit, Judice D. Basilio. Quo nihil puto discretius esse potest. Jam vero quid Græci eo Testimonio in Synodo Florentina exagitati reposuerunt? Corruptos Codices Latinos fuisse illico reponderunt, eaque in Græcis Codicibus Basilii verba non occurrere, quæ summam conficiunt: *cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illo, uti Causa dependeat.* Verum Græcos Schismaticos insigniter retuderunt Latini Theologi, productis venerandæ sexcentorum annorum Antiquitatis Codicibus Græcis, ubi ea quoque Basilii verba perleguntur. Quare rejiciendæ omnino sunt tanquam corruptæ Editiones illæ, in quibus ea Basilii verba desunt. Quinimo ex ipsamet ejusdem Sancti Basilii loquendi formula verba hæc a Græcis in apocryphis suspicionem vocata, nonnisi stolidæ fraude, & imprudenti dolo a Schismaticis e nonnullis Codicibus Græcis fuisse expuncta, satis compertum est; cum idem plane sensus, eademque doctrina in subjectis ibidem verbis reperiantur. Subjungit enim e vestigio Basilius: *Nam, quemadmodum Filius ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo, & causa essendi Pater ipse est. . . . Natura vero nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas: ita videlicet & Spiritus Sanctus, est dignitate & ordine secundus a Filio est, ut illud concedamus: non tamen verisimiliter aliene ipsum esse Nature inde consequatur.* Ubi notare operæ prælium est, quid ex Basilii mente sit, Personam unam dignitate, & ordine ab altera Secundam esse, sicut Spiritum Sanctum a Filio Secundum esse concedit: id scilicet nihil aliud esse ait, quam Personam unam alteri originem esse, ut causam essendi. Quo circa hic monere juvat, ne ob hanc loquendi formulam quis ambigere possit, dum a Græcis præsertim Patribus Personam unam alterius Causam appellari audiunt, aut, quod etiam durius est, unam ab altera Pendentem afferri vident. Sunt enim hæc Græci Idiomatis voces innocuæ, ab eo sensu longe alienæ, quem Latini Theologi de more tribuant, ac præcipuo Recentiores, qui accuratiori criterio verba sua limare soliti sunt. Idem scilicet apud Græcos sonat *Causa* se vocabulum, quod Principium apud Latinos; idemque apud eos unum ab altero pendere sibi vult, ac sine altero esse non posse: quæ cum apud nos receptissima fiat, non est, cur ea de re vel leviter moveamur; aut Græcis ob id negotium aliquid facessamus. Sed ad id, quod rei Caput est, redeamus. Faciunt & ad nostrum Institutum, ad Processionem scilicet Spiritus Sancti a Filio comprobendam, Quæstiones nonnullæ a Basilio Magno *lib. 5. contra Eunomium* agitatæ; quæ sane nunquam ei venissent in mentem, nisi Spiritum Sanctum a Filio originem ducere pro certo supponeret. Hujus generis est Quæstio ab illo proposita, *num Spiritus Sanctus sit Filius Filii?* Quis enim sanæ mentis Controversiam illam agitaret,

qui Spiritum Sanctum a Filio nullo pacto procedere sibi fingeret? Quis, amabo vos, Quaestionem movit unquam, cur frater fratris filius non dicitur, a quo nullam originem trahit? Solus ergo Quaestionis agitanda Titulus Basilii mentem in aperto ponit. Sed Quaestionis hujus a Basilio agitanda definitionem audiamus, quae Graecorum Errorem plane confodit: *Dicimus ergo* (respondit ille) *quod si quis Filium ex Filio diceret, in suspicionem multitudinis Trinitatem Deitatis adduxisset apud homines, qui hoc audivissent. Facile namque suspicari erat, quod si Filius ex Filio natus est, ex hoc, alius utique natus esset, ac versus alius, & deinceps ad multitudinem progressu facto.* En itaque Basilium non ideo negare, Spiritum Sanctum dici posse Filium Filii, quia ab ipso non trahit originem, quo quidem nihil ad resolvendam Quaestionem luculentius, & efficacius fuisset: sed ideo id inficiari, ne occasio aliquibus praeretur, ut alium Spiritum Sancti filium commiscerentur, & rursus istius alius; & sic non Trinitas esset, sed multitudo potius dicenda, per multiplices generationes confata; ut contingit in animantium Speciebus; ubi una existente natura, media generatione individua propemodum infinita multiplicari possunt.

Quaestio altera a Basilio ibidem agitata est: *an sicut Filius Verbum Patris est, ita Spiritus Sanctus sit Verbum Filii:* cui etiam movenda Quaestio nulla ratio suppeteret, nisi Spiritus Sanctus a Filio originem duceret, quemadmodum & Filius a Patre originem trahit. Sed & quod mirandum magis, agitata Quaestio respondet, Spiritum Sanctum Filii Verbum esse: quod etsi benigna expositione emollire necesse sit, ne finitro fortasse sensu Filii nomina Spiritui Sancto tribuantur; quod tamen Instituti nostri est, Spiritum scilicet a Filio procedere, invictissime probat.

Basilio Magno in eodem asserendo Dogmate de Processione Spiritus Sancti a Filio, aditipulatur Gregorius Nazianzenus *Oratione 37. de Theologia;* ubi mota difficultate, quid Spiritui Sancto desit, ne & ipse Aeterni Patris Filius appelletur? Respondet, nihil quidem Spiritui Sancto deesse; sed ob differentiam mutuae inter Spiritum Sanctum, & Filium Relationis effectum esse, ut diversa quoque nomina sortirentur. *Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quicquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum Relationis differentia diversa quoque ipsi nomina praeravit.* Mutua ergo inter se Relatione feruntur Spiritus Sanctus, & Filius: id vero qua forte, nisi unus ab altero originem ducat? Tum vero, ut Gregorius rudem (qualem humana tenuitas patitur) trium Personarum ideam nobis ingerat, Patrem Aeternum Adamo, qui a nullo homine traxit originem, comparat, Filium Hevae comparat, quae ex Adamo solo formata fuit; Spiritum Sanctum Abeli, qui ab Adamo simul, & Heva traxit originem. Quae vero hujusce comparationis ratio, si Spiritus Sanctus a Filio minime procederet? Nulla proflus.

Gregorio Nazianzeno dat manus Gregorius alter, Nyssenus ex Patria nuncupatus; a quo licet Schismatici non pauca expunxerint, quae suo Errori confutando nimis opportuna praesentiebant; quale est illud, quod Gennadius in *defensione Concilii Florentini cap. I.* memorat, non solum a Patre esse Spiritum, sed & a Filio; non pauca tamen in eo supersunt, quae Processionem Spiritus Sancti a Filio, a Graecis recentioribus pernegatam, invictissime probant. In libro enim ad Abilium de trium Personarum Distinctione differens ita loquitur: *Quod si quis calumnietur oratio-*

*nem, quasi ex eo, quod non admittat differentiam circa Naturam, mixtionem quandam, & confusionem Hypostasem facientem: hoc ad talem accusationem respondebitur, quod nas, qui Divinam Naturam differentie, variationisque expertem esse constat, eam, quae circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus. Quibus verbis istud Axioma posuit Gregorius Nyssenus: tres Personas Divinas inter se se idcirco distinguimus, quod una causatur, (seu quod apud Graecos, uti monuimus, idem est, ac originem ducit) ex alia: vel ergo Spiritum a Filio indistinctum existimavit Gregorius Nyssenus, quod dicere nefas est; vel eum a Filio originem ducere certissime censuisse, dicendum est. Sed & consecutionem ipsam exposito Axiomate intulit Sanctissimus Doctor: *Dicentes enim, (subjungit) alium quidem causatum, & a causa ortum; alium vero sine causa esse, non Naturam verbo causae separamus, sed solummodo neque Filium ita se habere quasi genitus non sit, neque Patrem per naturam, & generationem esse indicamus.**

Divum Joannem Chrysostomum Ecclesiae Graecae lumen clarissimum habemus in promptu; sed non est, cur diu moremur. Adeo quippe nitide, & aperte Dogma Catholicum adstruit adversus recentium Graecorum aberrationem, ut nulla nostra commentatione sit opus, ut verba ejus debite intelligantur. Si quidem is *Hom. I. de Symbolo* (apud Bellarminum *Controversia secunda de Christo lib. 2. cap. 25.*) inquit: *Iste Spiritum Sanctum dicimus Patri, & Filio coequalem, & procedentem de Patre, & Filio: & etiam Hom. 76. in Joann. ecce* (inquit) *quod non Pater solus, sed & Filius Spiritum mittit. Quid quaeso explicatius a quoquam optari potest?*

Nec vero minus aperte S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 13. Theaur. cap. 2. Ex Filio autem* (inquit) *naturaliter, & essentialiter Spiritum Sanctum, sicut ex Patre, provenire credimus.*

Alter vero Cyrillus Hierosolymorum Antistes *Catechesi 17.* non modo Spiritum Sanctum a Filio procedere docet; verum etiam qua ratione, quoque pacto Processio ista fiat, luculenter exponit; & falsam, ridiculamque quorundam Opinionem retundit, qui Spiritum Sanctum] externo quodam, ac materiali modo affari fabulabantur: *Iste unus tantum est* (inquit) *atque idem Spiritus Sanctus vivens & subsistens, qui ubique Patris, & Filio adest, non qui ab ore, & labiis Patris, & Filii loquendo formetur, vel affletur, aut in aere diffundatur: sed substantialis, loquens ipse, & operans, administrans, & sanctificans.*

Non abasimiliter Epiphanius in Ancorato rem eliquatissime decernit: *Deus est* (inquit) *ex Patre, & Filio Spiritus. Quare remirari satis non possum, qua forte factum sit, ut sepositis, ac omnino neglectis tot limpidissimis Veteris Ecclesiae suae Oraculis, nova Commenta sectari Graeci maluerint: nisi quod plus eos in Ecclesiam Latinam livor, & invidia movit, quam debita Majoribus suis veneratio.*

Adjungerem tot illis jam a me appellatis Ecclesiae Graecae Luminibus, Didymum Alexandrinum, Simeonem Metaphrastem, Anastasium Antiochenum, Tarrasium Patriarcham Constantinopolitanum, aliosque non paucos ad eruditissimo Bessarione laudatos in Oratione dogmatica ad Concilium Florentinum Patres habita; qui recentium Graecorum Errori confutando abunde sufficerent.

Ne tamen infalutatum praetermittam Athanasium,

Joannem *cap. 15.* Oraculo aciem instruant: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Quo ex loco colligunt, Spiritum Sanctum a Filio minime procedere; alias id Christus pari jure significasset. En Graecorum Theologorum, ut ipsi quidem putant, Achillaeum Argumentum.*

Verum praepostera Consecutio est a Graecis adeo confidenter illata; tantumque abest, ut Spiritus Sanctus a Filio minime procedere dici debeat, eo quod a Patre procedere dictus sit, quin potius ab ipso quoque Filio idcirco procedere dicendus est, quia a Patre procedere dictus est. Quod etenim uni Personae tribuitur, alteri quoque non abasimili jure tribuendum est; iis duntaxat exceptis, in quibus Personae relative opponuntur: *omnia mea tua sunt.* Porro Pater Filio relative non opponitur in Virtute spirandi Spiritum Sanctum. Etsi ergo Pater dicatur spirare Spiritum Sanctum, ea tamen spirandi Vis Filio non negatur. Exemplis id palam ostenditur. Petro Apostolo aeternam Divini Verbi Generationem confesso ait Christus: *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Caelis est. Matthaei 16.* Ergo ne idcirco colligendum, Filium, aut Spiritum Sanctum tunc Petro veritatem miame revelasse? *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, ait Christus Matthaei 11.* Ergo ne Patrem minime novit Spiritus Sanctus, aut semetipsum ipse non novit? Abest. Quidni idem de Spiritu Sancti Processione dicamus? Procedit a Patre, absque tamen Filii exclusione; a quo perinde procedit. Praesertim cum Spiritum Sanctum altero in loco a Filio quoque procedentem Scriptura non leviter inuauit; dum videlicet eum a Filio quoque esse suum accipere monet: *Spiritus Sanctus de meo accipiet Joannis 16.* Cur hic porro solius Patris mentionem Christus iniecerit, ratio in promptu est, ut videlicet Patrem totius Divinitatis, & utriusque Processionis Fontem esse significaret; & a quo ipse quoque Filius spirandi Virtutem accipit. Primo: quia in priori hujusce periodi parte dicendo: *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre;* Spiritum Sanctum a se, seu a Filio procedere significat, quia Missio refertur in Processionem Personae missae a Persona mittente. Ex Scripturis ad Patrum Auctoritatem missum faciunt Graeci Schismatici, ut Processionem Spiritus Sancti a solo Deo Patre nobis ostendant; totumque Sententiae suae praesidium in Graecis Patribus ponunt. Ex iis nubem, eamque densissimam proferunt, qui Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere constantissime docent: S. Athanasius in *refutatione hypocrisis Meletii, & Eusebii;* S. Basilii Magno in *Epist. 43.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 24. ad Episc. qui venerant ex Aegypto;* Cyrillus Alexand. *lib. 2. in Joann. cap. 3, & 13. Theaur. cap. 2. Theophylactus in Cap. 3. Joann. Damascenus lib. 1. de Fid. Orthodoxa cap. 11. S. Gregorius Thaumaturgus apud Gregorium Nyssenum in vita ejus, & alii bene multi. Quorum Suffragiis tui Graeci novum aliquid se detexisse putant; Spiritum Sanctum a Filio minime procedere, sed solum a Patre per Filium; quasi duo haec multum inter sese distent; eoque pacto multum a Theodoro Nestoriano recedere sibi putant, quod is utrumque simul negaverit olim, & procedere Spiritum Sanctum a Filio, & procedere a Patre per Filium. Ego vero, ut meas quoque partes impleam, quaeverim primum a Graecis, quo titulo, suave ratione Veterum Patrum Latino-rum Suffragium hac in Quaestione tam frigide despiciantur? Cur illos uti minus aequos hujusce*

PRAELECTIO XIV.

Graecorum Argumenta adversus Spiritum Sancti a Filio Processionem reselluntur.

Robata, multiplice Argumentorum genere confirmata Spiritus Sancti a Filio Processione, reliquum est, ut ad occupandas Adversariorum munitiones animus convertamus. Latinos e vestigio insequuntur Graeci Theologi, ac duplici ex Capite impetunt. Primo: Spiritum Sanctum a Filio minime procedere multis demonstrare adnituntur. Secundo Particulam *Filiusque*, quam Latini explicanda veritatis gratia Symbolo Constantinopolitano addendam existimant, ut Fideles adversus nascentem errorem communi-rentur, nonnulli ausu sacrilego affutam ostendere satagunt. Utrumque ex ordine perpendamus.

Ad impugnamdam igitur Spiritus Sancti a Filio Processionem, primum ex eo Christi apud

Controversie Judices missos faciunt? Atque illos etiam ipsos, qui eo tempore Ecclesiam illustrarunt, quo Græci omnes una nobiscum Fidei Communione juncti erant? Ea certe agendi ratione laqueo se implicant, dum laqueum effugere adnituntur. Concedere siquidem coguntur, Latinam Ecclesiam, quam Latini Patres egregie representant, a Veritate, ut ipsi putant, Catholica defecisse eo etiam tempore, quo ipsi unum cum illis Corpus, unum Opus conlabant; seque idcirco sacrilega cum errantibus communione poluisse. Majorum etiam suorum exempla ea agendi ratione pessum dare dignoscuntur, Legant enim, seduloque perpendant ultimorum Conciliorum in Oriente celebratorum Acta: compertient sane, Græcos Præsules, qui in eis una cum Latinis confidebant, Fidei Capita adversus damnandos ibidem Hæreticos comprobasse, defendisse, demanstrasse promiscue Veterum cum Latinorum, tum Græcorum Patrum Testimoniis: quod videlicet certo noscerent, Traditionem, quæ altera Fidei nostre Regula est, ex omnibus promiscue Patribus, qui unius ejusdemque Ecclesie Communionem fruuntur, repetendam esse. Sibi ergo melius Græci consulant, si sua sapientia specimen edere velint; nec Patrum Latinorum Suffragia ita facile despiciantur; eorum saltem, qui longo in Ecclesia tractu antea floruerunt, quam Schismatis vexillum Phorius erigeret.

Et vero, si Latinos Patres ita pessumdare sibi licitum arbitrantur Græci Theologi; quidni quoque Latini Theologi Græcos Patres æqua sorte hocci facere possent? Justa enim, & æqua conditio litigantium est, ut suspecti ab utraque parte Testes, ac Judices rejiciantur. Sed abist, ut id flagitii admittamus. Græcos Patres, uti loquutissimos hujusce Controversie Judices admittimus, eosque nihilo nobis adversari demonstramus.

Quid ergo sibi velint, paulo distinctius investigemus; quid hæc apud illos verba sonent a Græcis Theologis tantopere jactitata: *Spiritus procedit a Patre per Filium*, seu quod idem est, *Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum*. Quocirca perfractæ, audacterque pronuncio, nihil hæc aliud sibi velle, quam quod Latini pro sui varietate idiomatis, aliis istis verbis efferunt: *Procedit Spiritus Sanctus a Patre simul, & Filio*; sic ut non Dogmatis apud Sanctissimos Patres, sed idiomatis tantum dissonantia sit. Quod usque adeo verum est, ut Cardinalis Bessarion, qui Græci Idiomatis vim certissime noverat, utpote Græcus ipse, hæc omnia Græcorum Patrum Testimonia, qui *Spiritum a Patre per Filium* procedere ajunt, in Latinorum Sententiæ patrocinium sine cunctatione protulerit in illa eleganti Oratione, quam eo de Argumento ad Concilii Florentini Patres habuit.

Ne porro quis putet, Cardinalem doctissimum studio tuendæ Cause Latinorum nimis abreptum, & agglomerandis Testimoniis Veterum nimis intentum, ea etiam Testimonia protulisse, quæ vel nihil, vel ejus Infituto oppositum evincerent (quod tamen nescio, an citra humanæ imprudentiæ labem de Cardinali meritissimo dici possit, Orationem præsentibus Græcis habente,) triplici ex Capite demonstrabo, eum Græcorum Patrum loquendi modum nihil reipsa, sed Idiotismo duntaxat a Latino differre; idemque omnino esse *Spiritus a Patre procedit, & Filio*; ac *Spiritus procedit a Patre per Filium*.

Et quidem illi ipsi Græci Patres, qui eum loquendi modum locis in Objectione laudatis usurpant, *Spiritus procedit a Patre per Filium*, alteram Latinorum loquendi rationem, *Spiritus a*

Patre procedit, & Filio, aliis in locis usurpant, sic ut eandem utriusque locutionis potestatem, sensum eumdem esse necesse sit; nisi velimus eos oppugnantia locutos esse. Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Cyrilli Alexandrini, Cyrilli Hierosolymitani, Athanasii loca retulimus in antehabitis Dissertationibus.

Secundo, vice versa Latini Patres (quos Spiritus Sancti ex Filio Processionem tueri perspicuum est, ut ipsi etiam Græci sine cunctatione fatentur) aliis etiam in locis Græcorum Patrum phrasim usurpantes & Spiritum procedere a Patre per Filium, perinde docent, (ut observat Bessarion in Concilio Florentino sess. 25. apud Labbæum) Tertullianus lib. contra Praxeam utramque phrasim usurpat; Græcorum quidem cap. 4. Latinorum vero cap. 8. & (ut habetur in eodem Concilio Florentino in ipsa sessione 25. apud Labbæum) ipse S. Maximus ibidem ab Episcopo Mitylensi laudatus; Hilarius quoque de epist. 3. Basilii ad Anaphilochium; & alii quamplures Latini Patres laudati in Epistola Hadriani ad Carolum Magnum data (ut legitur apud Labbæum in Synodo Nicæna II.) qui eam loquendi formulam Patribus tam Græcis, quam Latinis familiariter fuisse declaravit, eundemque sensum habere, ad Tharasil purgationem. Adeo perspicuum est, phrasem illam in eundem plane sensum redire; nec nisi sono, & Idiotismo diversas esse.

Tertio, si earum locutionum, *procedit per Filium*... *procedit ex Filio* voces, syllabasque rimari velimus, res in propatulo fiet. Quid Particula ex apud Latinos sibi velit, quidve ipsi ea phrasim *Spiritus Sanctus ex Patre procedit, & ex Filio* significare studeant notum est: nempe Spiritum ex Substantia Filii etiam esse, seu Filium Fontem etiam esse, Principiumque, a quo Spiritus originem ducat. Jam quid Particula *per Filium procedit* a Græcis Patribus frequentius usurpata significare possit, videamus. Particulam per causalitatem, ut Scholastici loqui solent, aut principii alicujus adivum influxum significare, nota res est, non Suffragio Divi Thomæ duntaxat 1. part. quest. 36. art. 3. verum etiam solito loquendi usu apud quosvis homines receptissimo. Hinc triplicem sensum Particula *per* habere potest. Nonnumquam causalitatem, ut ita loquar, ministerialem significat ejus, per quod aliquid fieri dicitur, ut si dicam: *Spiritus Sanctus locutus est per Prophetas; Joannes Baptista a Deo missus est, ut omnes crederent per illum*; Prophetas, ac ipsam Prophetarum maximum Joannem Dei instrumenta fuisse significo, quibus uti voluit Deus, ut & Veritatem patefaceret, & homines vocaret ad Fidem. Græcos non ita imprudentes existimo, ut eo sensu Particulam *per* ab Ecclesiæ suæ Patribus usurpatam fuisse velint, dum Patrem Spiritum spirare *per Filium* pronunciant; quasi Filius Patris Spirantis sit instrumentum: in impietatem siquidem Arianam laberentur, qua Filius Patris instrumentum appellabatur. Quinimo Arianis pelus Græci sentirent, dum ii Filium Patris Creantis instrumentum asserunt, isti Patris Spirantis assererent: cum Spirando minus, quam creando, Deus egat instrumentum; prior siquidem est actio interna, & immanens; transiens altera, ac externa.

Secundo Particula *per* causalitatem, seu virtutem agendi significat, susceptam tamen, mutuatamque ab illo ipso, per quod aliquid fieri dicitur, ut dum Genesis cap. 4. dicitur: *possedit Hominem per Deum*? sensus est: genui Hominem fecunditate a Deo mihi benigne concessa. Certe nec Græcos ita caventes existimo, ut hoc sensum ab Ecclesiæ suæ Patribus Particulam *per* usur-

Reliquæ Græcorum Objectiones ad trutinam revocantur, ac dissipantur.

patam arbitrentur, dum ajunt, Patrem spirare Spiritum Sanctum *per Filium*: quasi Pater spiraret Spiritum Sanctum virtute a Filio suscepta, ac mutuata: Sic enim Trinitatis Mysterium totum subverterent; quasi vero in Divinis Pater a Filio acciperet aliquid.

Tertius superest Particulæ hujusce sensus; is nempe, quo quis per alterum agere dicitur, dum ei virtutem agendi largitur, simulque cum eo agit. Frequens illa in Scripturis usurpatio est, ubi de Divinis Personis agitur: ad Hebræos 1. *Deus locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem facti & secula*: Joann. 1. *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Quid enim hæc sibi Oraacula volunt? Nempe illud; Patrem, Filium generando, data, communicataque individua Natura, agendi, creandique Virtutem ei contulisse, ut una secum æquo jure, & inseparabiliter Orbem conderet. Atque hoc ipsum est, quod Græci Patres sibi volunt ea apud illos pervulgata loquendi formula *Pater Spiritum Sanctum per Filium spirare*; nempe Patrem, Filium generando, data & communicata Natura, spirandi quoque Virtutem illi indidisse, qua una secum spiraret Spiritum Sanctum. Hinc Doctores Anglicani 1. part. quest. 36. art. 3. quia *Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici, quod Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium; quod idem est*. Nihil ergo, nisi sono, & Idiotismo a Latinis discrepant Græci Patres; Spiritusque Processionem a Filio, alio licet loquendi modo, profitentur. Nisi hunc Patribus suis sensum Græci tribuant, absomam eis locutionem; & erroneam profus asfingent.

Græcos audio vulgo jactantes, non pati Græci Idiomatis elegantiam, ut Latinorum loquendi modum usurpent, & Spiritum Sanctum ex Filio procedentem eadem nobiscum verborum proprietate pronunciant; propterea quod apud illos, ut ajunt, Particula *ex* dimanationem a primo fonte, primoque principio significare videatur: quod certe folius Patris est proprium in Spiritus Sancti Spirazione. An ita sit, ut Græci jactant, definire omnino non possum, quippe qui in Græca lingua balbutire vix novi. Illud tamen scio, Basilium Magnum, Gregorium Nyssenum, Cyrillum utrumque, Alexandrinum, scilicet, & Hierosolymitanum lingue Græcæ politissimos Professores Particulam etiam *ex* usurpasse, ut Spiritum Sanctum *ex Filio* procedere dicerent. Sit ita tamen, ut volunt delicatuli Græci illi: nos Apostolicæ Sententiæ memores *nolumus considerare verbis*. Verba mittamus; Particulam *ex* loquendi formulis deleamus, si ea sola stomachum facit; uni Veritati consulamus. Dicant explicatius, & absque ambagibus mentem aperiant, an Filium agnoscent, uti Spiritus Sancti Fontem, atque Principium, ab Æterno licet Patre promanans, a quo spirandi Vim sua Generatione suscepit? Dicant, an Spiritum Sanctum a Filio originem trahere fateantur, quamquam & Filius suum etiam a Patre originem ducat? Id si velint, dent manus, & medium parietem, quo divisi sumus, in presentia solvamus, verbisque, quibus liberit, pro sui Idiomatis opportunitate utentur. Verum si specie servandæ sui Idiomatis elegantie Veritatem ipsam, ac rei Caput lateri detrectant, eoque vano verborum involuero Errorem obtegere sibi gestiunt, audiant, quid sua quondam Ecclesiæ Lumen clarissimum Gregorius Nazianzenus non abhinc occasione dixerit: *Judaica possessio genus est, relicta verbis, syllabas consecravit*. Cætera Græcorum Momenta in sequenti expendemus.

Serry Tom. IV.

Multæ etiamnum supersunt Græcorum in Latinam Ecclesiam Velitationes examinandæ; ideoque in hacce Exercitatione Theologica finem imponemus. Post objecta nobis Scripturarum, ac Patrum de Spiritus S. Processione Testimonia, duas jamdudum Difficultates attigerunt, quas nobis non sine molestia identidem objecerunt. Prima erat; quod posita Spiritus S. a Patre simul, & Filio Processione Divina, uti Latina contendit Ecclesia, consequens plane sit, duo esse Spiritus S. Principia, Patrem nimirum, & Filium. Altera erat; quod ea simul a nobis hypothese constituta, Pater non immediatus, sed Filio veluti medio, Spiritus S. Principium statuatur; quæ duo nec recta ratio, nec Religio patitur.

Exacta rubigine, penitusque obtusa sunt tela hæc. Tantum enim abest, ut Patrem, ac Filium duo Spiritus S. Principia esse velit Ecclesia Latina, dum Spiritus S. originem ab Utroque ducere profitetur, quin potius iis ipsis in Conciliis, quibus explicatius, ac nitidius Spiritus S. ab Utroque Processione definitur, Patrum & Filium unicum Spiritus S. Principium esse sanxit. Legant, si ea de re Græci dubitant, Definitionem Concilii Lugdunensis in Cap. Fidei de Summa Trinitate in 6. & Concilium Florentinum in Decreto Unionis, cujus hæc verba sunt: *In Nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. hoc Sacro approbante Universali Concilio definitum, ut hæc Fidei Veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sique omnes profiteantur; Quod Spiritus S. ex Patre, & Filio æternaliter est, & Essentiam suam, suamque Esse subsistens habet ex Patre, simul, & Filio, & ex Utroque æternaliter tanquam ab uno Principio, & unica Spirazione procedit*. Ita plane Concilium Florentinum.

Qua porro forte id fieri queat, ut ambo unicum sint Spiritus S. Principium, lucidissima ratione declarat Doctores Anglicani 1. part. quest. 36. artic. 4. Cum enim Utrique (Patri nimirum, & Filio) insit spirandi Vis; tamen in Persona duo sint, Spirazione sunt unum. Exemplo res eliqueseit: Dicant enim, amabo, Græci: Pater, Filius, & Spiritus S. tres ne Creatores appellari possunt, an num potius Creator omnino unus? Creatorem unum, sine dubio respondebant, nisi Scripturas omnes pessumdare velint. At quarum Personarum tres unicus tamen Creator appellatur, & sunt? Prorus quia una, eademque creandi Potestas, & Virtus tribus inest. Quidni itaque pari jure unicum Spirandi Principium Pater, ac Filius esse possunt, cum una, eademque spirandi Virtute ambo fruantur?

Reponent forte; Patrem esse Principium improductum, Filium vero Principium productum a Patre: unum itaque Principium non fuit. Verum non advertunt, Principium ut productum, & improductum rationes esse mere relativas, quæ aliunde non tollunt identitatem Virtutis Principii in producendo Spiritum Sanctum. Rem Exemplo dilucido: Natura Divina, ut est in Patre, est a se; eadem vero, ut est in Filio, est ab alio; & tamen una, eademque & Patris, & Filii Natura est: quia esse a se, & ab alio, sunt modi relativi, qui Naturæ identitatem minime tollunt.

Non ab simili facilitate altera adversus Latinam Ecclesiam instructa a Græcis Criminatio diluitur; quasi

quasi vero Pater, non nisi mediatus, uti loquuntur, Spiritus S. Principium esse possit, si illum una cum Filio spiraret. Undenam enim id sibi colligere posse videntur? Quia (inquiunt) in Latina Ecclesiae hypothesi Filius non spirat, nisi Virtute a Patre accepta: atque ita Pater, nisi Filio medio, non spirat. Egregia profecto conclusio. Quidni etiam pari festiuitate concludant? Filius non creat, nisi Virtute accepta ab Aeterno Patre; Igitur Pater, nisi medio Filio, non creat; atque idcirco non immediatus Creator habendus est. Nihil itaque vetat, quominus Filius spirandi, creandique Virtutem Aeterna sui Generatione ab Aeterno Patre susceperit; Uterque tamen, nullo illorum stante medio, spirare, atque creare ex aquo possit. Id familiari, atque domestico Exemplo competissimum est. Demus duos homines, unum alterius Filium, qui uni simul ferendo oneri elaborant: tametsi Filius robur illud, quo onus ferre possit, a Patre sui generatione obtinuerit, ambo tamen ex aquo, nullo illorum stante medio, sua illa ferendi virtute probantur, & nullus alteri in sua, ut ita dicam, virtutis usu medius est. Sed ad altiora properemus.

Restat ultima (sed ut fatear, quod res est, altioris longe Criterii, graviorisque momenti) Graecorum adversus Latinos Expolutio. Ea nempe, quae de addita Constantinopolitano Symbolo Particula *Filioque* contra Latinam Ecclesiam instrui solet in hunc ferme modum. De Spiritu S. Processione, inquiunt Graeci Theologi, nihil in Concilio Niceni Symbolo expressum erat, cum primo a Nicenis Patribus adnotatum est. Cœpit ea de re in Concilio Constantinopolitano Primo aliquid Symbolo huic adjungi, quod Spiritus S. Divinitatem, ejusdemque a Patre Processionem contingeret; at de ejus a Filio Processione nihil tunc additum est. *Credimus in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & Processione a Filio plane nihil: Cum post Concilium Constantinopolitanum tempora Concilium Ephesinum habitum est; in quo Symbolum alterum, seu Fidem alteram proferre, vel scribere ab ea, quae Nicæa, & Constantinopolitana fuerat, aut eidem quidpiam addere solemniter Decreto vetitum est; idque Depositionis poenam adversus Clericos, qui id attentare presumerent; Anathematis vero in Laicos, qui hoc nefas admitterent. Quo itaque jure, inquiunt Graeci, posthabito, spreto, ac veluti conculeato Oecumenici Concilii Ephesini Interdicto, Particula *Filioque* proculdubio antiquae Fidei formulae, antiquo Symbolo addita est? En Graecorum Arietem, quo Ecclesiae Latinae, ut ajunt, temerarios ausus impetere sibi putant.*

Quod nihil a Concilio Nicæno de Spiritu S. Divinitate, ejusque Processione in Symbolo notatum sit, ratio in prompta est; quia scilicet adversus Arianos in Synodo Nicæna tota Litis erat: cumque solum illi ex Instituto Filii Divinitatem oppugnarent, satis profecto Synodo fuit, inscripto Novo Symbolo Filii Divinitatem explicatius, quam in Apostolico Symbolo confirmare.

Rursum, quod in Concilio Constantinopolitano I. una duntaxat Spiritus S. Divinitas, ejusdemque a Deo Patre Processio solum expressa, Veterique Symbolo addita sit, facti quoque in aperto est, Macedonianorum quippe Haeresi damnanda studebat unice Synodus Constantinopolitana: cumque ii Spiritum S. a solo Filio, atque instar Creaturae procedere fabularentur (uti retulit est S. Basiliius lib. de Spiritu S. adversus Eunomium) nil aliud hujusce Synodi Patres fa-

cere censuerunt, quam Spiritus S. Divinitatem, ejusque a Patre Processionem in tuto ponere, paucis illis ad Symboli Nicæni Fidem additis verbis qui ex Patre procedit; qui cum Patre simul & car. Quapropter, cum secuti inde temporibus novus Error in Ecclesia suboriri cœperit, qui Spiritum Sanctum a Filio procedere negat; eadem illa, qua semper Ecclesia pollet, auctoritate Particulam *Filioque* praecedenti Symbolo addendam judicavit in Concilio, de quo nobis in Tractatu de Fide fermo erit. Ecclesia quippe, atque ejus idcirco Supremi Capitis munus est, Fidem in Quaestionibus controversis exponere, atque etiam Symbolum, ac Fidei formulam ordinare majoris explicationis gratia, ne Fideles novo aliquo insurgente errorum aucupio capiantur. Unde & de hujusce Particulæ *Filioque* additione, nullam bona fide Controverfiam moveri puto, ubi semel de Dogmate ipso Latinos inter, & Graecos probe constaret.

At obstat, inquiunt Graeci, Concilii Ephesini Interdictum, quo, ne quid Veteri Symbolo adderetur, veritum erat.

Difficultatem nec dissimulo, nec effugio. Quare repono, Concilium Ephesinum Privatos duntaxat Decreto suo obstrinxisse, non Concilia, non Supremum totius Ecclesiae Caput, quibus nihil prescribere potuit; Juris enim Regula est ipso Natura lumine nota, *par in parem auctoritatem non habet.*

Responsum hoc nostrum juvat non ratio duntaxat; verum etiam Veterum Conciliorum, quorum suprema apud Graecos auctoritas est, praxis, & usus. Ratio, inquam. Quorum enim novam Fidei formulam edere, aut aliquod antiquo Symbolo additamentum adferre vetuit Ephesina Synodus? Profecto, ne quis exponendi Nicæni Symboli speciosio praetextu avitam Fidem adulteraret, suaque errores simplicibus propinquaret; ut Arianis, & Semiarianis familiare erat. At nihil ejusmodi quidquam de Sacris Conciliis secundum Canonicas Sanctiones, ac Summi Pontificis accedente praesidio celebratis pertimescendum erat; cum nihil adversus Catholicam Fidem ab iis attentari posse notissimum sit. Non ergo Synodus Ephesina sequentium Conciliorum, Romanorumque Pontificum auctoritatem arcevit.

Quibus addendum est; quod in materia Disciplina Concilium unum alterius subsequens Concilium auctoritatem restringere, & coercere non potest. Porro quod aliquod Fidei Dogma, ubi semel ab Ecclesia definitum est, Symbolo ad majorem Fidelium informationem inferatur, res inter Disciplinae est. Rursum Concilium Ephesinum Depositionis poenam comminatur iis, qui addere quidpiam auderent; quod certe nec de Summo Pontifice, nec de posterioribus Conciliis intelligi potest dictum. Probat hoc idem posteriorum Conciliorum Exemplum: videlicet Concilium Ephesinum Decreto suo posteriora Concilia non adstrinxisse, sed Privatos duntaxat. Concilium quippe Chalcedonense aliquanto post celebratum, se Ephesino Interdicto minime ligatum existimavit: quandoquidem vetus Symbolum novis additamentis amplificavit; quae licet in Ecclesia minime decantentur; in ejus tamen Actis consignantur, ac etiam hodie perleguntur. Ita enim observat Hugo Etherianus lib. 3. de Haeresibus, quas Graeci in Latinos devolvunt (ob additam Symbolo Particulam *Filioque*) cap. 16. Si Constantinopolitano Synodus Nicæna adjectis Symbolo: in Spiritum Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem. Si Chalcedonensis Synodus quoque Constantinopolitano addidit Symbolo: perfectum in Humanitate, perfectum in Divinitate, Consubstantia-

tiam Patri secundum Deitatem, Consubstantialem nobis secundum Humanitatem, & car. (apud Nat. Alex. ad Sac. IX. & X. Dissert. 18.) En adjectio facta a Synodo Chalcedonensi. Non itaque Concilii Ephesini Interdictum ne quid Veteri Symbolo adderetur (quod tanta animi contentione Graeci nobis objiciunt) non, inquam, Concilia ligat, ne & ipsa, novorum Errorum occasione, aliquid addere possint, ubi id judicaverint expedire.

Norunt id profecto Graeci, sed caute dissimulant. Etenim post factam Particulæ *Filioque* additionem in Concilio Romano sub Agathone anno sexcentesimo octogesimo a Latinis, ut ajunt, attentatam, duo in Orientem Concilia Oecumenica celebrata sunt, Constantinopolitanum Tertium, & Nicænum Secundum, ubi Graeca simul, & Latina Ecclesia convenere: & quanquam Graecos minime lateret, quid Latini Veteri Symbolo addidissent; nullum tamen ob id negotium nobis fecerunt, quin potius, si nonnullis Scriptoribus fides est, in Secunda Nicæna Synodo Symbolum cum ea additione Particulæ *Filioque* decantatum est. Post trecentos duntaxat annos ea nobis Objectione a Graecis facta est. Unde colligere merito liceat, eam Graecorum contra Latinos accusationem ex secreta quadam amulatione, & anticipato errore prodidisse.

Reponunt fortasse Graeci, (nec enim quidquam, quod eorum Causam juvare possit, omittam) si sic est; si quidpiam publica Concilio, Summique Pontificis auctoritate Veteri Symbolo addi potuit, novi Erroris subortientis occasione, quorsum in Ephesina Synodo post damnatum Nestorium, qui Divinam Mariæ Virginis Maternitatem abnegabat, *Deipara* vocem Symbolo addere noluerunt Venerandi Patres, tametsi id nonnulli instantissime postularent? Quorsum in Concilio Chalcedonensi post damnatum Dioscorum, & Eutychem aliquantulum adversus illorum Errorum expositionem veteri Symbolo adnectere detrectarunt Sanctissimi Praefules, quan-

quam id aliqui vehementer optarent? Imo vero conclamant universi: *Expositionem alteram nullus facit. Neque tentamus, neque audemus exponere.... sufficiens quae exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri.... Regula est, quae praedicat sufficere, quae sunt exposita; nimirum, uti perspicuum est, in Concilio Ephesino facta Lex, (apud Nat. Alex. Diss. 18. ad Sec. IX. & X.)*

Responsio in promptu est, nullam a Patribus Chalcedonensibus, & Ephesinis adversus natos Errores Expositionem additam esse Veteri Symbolo, non quod addere summo jure non possent, si id ita expedire judicassent; sed quod minime necessaria foret ad Fideles contra eas Haereses communiendos. Quorsum id? Quia multa satis in Constantinopolitano Symbolo habebantur, quibus Virgo Maria *Deipara*; hoc est, Dei Mater significabatur; cum idem ille, qui & ex Patre natus, & consubstantialis Patri dicitur, & incarnatus & Homo factus, ex consequenti ex Virgine genitus intelligendus sit; ut inferret Rhodus Praeful in Sess. 6. Concil. Florent. (apud Nat.) Quae certe minus vera foret, nisi Virgo *Deipara*, hoc est, Dei Mater agnosceretur. Similiter Eutychemorum Error duas Naturas in Christo confusus blasphemantium adeo aperte in Symbolo Constantinopolitano denudatus est, ut illud ipsum Eutychemi proflus exploderent, atque rejicerent. Nec alia de causa novam contra Eutychemum Expositionem inutilem censere Chalcedonensis Synodi Patres, quam quod satis esse judicarent, si Constantinopolitanum Symbolum Eutychemi recipebant. Ceterum quod aliquid Symbolo addendi auctoritatem haberent, si id expedire judicassent, satis superque Facto monstrantur: quippe qui, uti paulo supra significavi, nonnullis re ipsa aliis additamentis Symbolum Constantinopolitanum amplificaverunt.

Novo nos telo Adversarii petunt: Illo scilicet, quo Additionem illam a Latinis tenere factam, a Romanis subinde Pontificibus improbatam esse demonstrare satagunt, at de hoc differemus in nostro Tractatu de Fide.

DISPUTATIO ALTERA.

Adversus Raymundum Lullum, aliosque Theologos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Trinitatis Mystrium nulla posse naturali ratione demonstrari; hocque ipsa naturali ratione luculentius evinci, propugnatur.

Hactenus Sacrosanctum Trinitatis Mystrium, asurgente Sacrarum Scripturarum Revelatione, deteximus, & contra perfidos ejusdem Hostes Divina Testificatione subnixi defendimus, probavimus, explicavimus. Hæc nobis felix Cynosura fuit, qua duce, & auspice Mare istud enavigavimus naufragiis celeberrimum. Hæc nobis lucerna lucens in caliginoso loco, ut loquitur Petrus Apostolus ep. 2. cap. 1. cujus beneficio Mysteriorum opum abditissimum, occultissimumque, quo humana Mens potest, internovimus. At novus nunc Campus nobis aperitur, muraturque Scena, dum illud a nobis quaeritur: num quod Divina Revelatione deteximus, & probavimus Trinitatis Mystrium, ratione etiam

naturali, eaque demonstrante cognosci probarique possit.

Fuit enim illud olim Raymundi Lulli pium quidem, ut arbitror, sed audax nimium, imprudensque Consilium, qui, ut Saracenos, Judæos, atque Gentiles de Sacrosanctæ Trinitatis Veritate convinceret, demonstrantes rationes excogitavit, quibus illorum assensum extorqueret. Non ita profecto Ecclesiae Patres, qui in asserendo vindicandoque Trinitatis Mystrio humanæ Rationis praesidia nusquam attulerunt. Horum nos exempla secuti Raymundi Lulli vanitatem, atque audaciam praesenti Exercitatione perstringemus, palamque faciemus Trinitatis Mystrium, nisi Divina Revelatione dignoscatur, nulla unquam posse naturali ratione demonstrari.

Id igitur nos ex pluribus Scripturæ Locis hauriemus; Matthæi nimirum cap. 11. ubi cum Christus rogatus esset ab Apostolis, ut Mysterium Generationis expromeret, respondit: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Pater quis novit, nisi*